

lum per latus suum dexterum, cantat *Dominus vobiscum*; et reversus ad librum per eandem partem, dicit *Oremus*, versa facie ad crucem altaris; deinde Orationem, seu Orationes competentes; quibus cum sua conclusione finitis, redit iterum ante medium altaris, quod, ut prius, osculatur, et rursus ad populum versus, cantat *Dominus vobiscum*; et responso per chorum *Et cum spiritu tuo*, Diaconus vertit faciem ad populum, renes autem celebranti, vel alias juxta dispositionem altaris, et regulariter stat versus, prout celebrans, et cantat *Ite Missa est* in tono festivo; quo dicto, ipse et celebrans simul vertunt se per latus Epistolæ ad altare, et celebrans dicit *Placeat tibi, sancta Trinitas, etc.*

79. Quo dicto, si adsit Cardinalis non Legatus, seu Archiepiscopus suus, aut alius Superior, retrocedit paululum ad latus Epistolæ, quasi benedictionem ipsi Superiori dandam remittens; ipse tamen Superior omnino illam ipsi Episcopo relinquat. Sed præsentem Legato de latere, convenit, ut ipse Legatus benedicat, etiamsi Episcopus sit Cardinalis. Cum vero Episcopus benedictionem daturus est, sumpta mitra, in medio altaris, benedicit, more solito, prout in Vesperis dictum fuit.

80. Et si Indulgentia non fuit publicata post sermonem, publicatur ibi tunc per Presbyterum assistentem in cornu Epistolæ versus populum: quæ publicata, Episcopus, deposita mitra, dicit versus cornu Evangelii *Dominus vobiscum*, summissa voce, et facto signo crucis super altari, dicit *Initium sancti Evangelii secundum Joannem*, quod prosequitur, sumpta mitra et baculo, procedendo ad locum, ubi a principio accepit paramenta, associatus a Canonicis; ibique per eosdem ministros exuitur sacris paramentis: Canonici vero deponunt sua paramenta ibidem in locis suis.

81. Si celebrans sit Archiepiscopus, dat benedictionem sine mitra versus ad suam crucem, et deponit pallium super altari, ac postea dicit *Initium sancti Evangelii, etc.*

82. Quod si in hujusmodi Missa esset facienda communio generalis, vel particularis aliquorum, observabuntur ea, quæ in *Cap. xxix hujus Lib. II. §. III.* de Missa solemni in die Paschæ, Episcopo celebrante, dicuntur.

CAPUT IX.

Missæ solemni quomodo Episcopus assistat. Convenit ut sacra indumenta adhibeat in festis solemnioribus pro eadem assistentia. Diaconi assistentes, in habitu Canonicali inservire debent. Ordo procedendi ad Ecclesiam. Quando Episcopus assistat cum cappa. Quid servandum, si Missa celebretur per alium Episcopum, seu Suffraganeum. Thurificatio qua ratione facienda.

1. Quemadmodum superius de Vesperis solemnibus coram Episcopo celebrandis diximus, Episcopum pluviali, ac aliis paramentis ibidem expressis, indutum, convenienter interesse, et Officium facere, sic etiam, cum ipsemet non erit celebraturus, sed Missæ per alium celebrandæ intererit, iisdem sacris indumentis vestitus esse poterit, eodemque modo, ordine et loco, ea sumere, prout ibidem demonstratum fuit.

2. Quo casu debent ei assistere duo antiquiores Diaconi, sive ex Dignitatibus, sive, his deficientibus, ex Canonicis, et his deficientibus, juniores Presbyteri in eorum habitu Canonicali, sed sine sacris paramentis.

3. Ordo autem, quoad accessum in Ecclesiam, deductionem et obviationem Canonicorum, ac reditum in fine, idem erit, prout supra in *Cap. xv. §. I. et XI. Lib. I.* declaratur.

4. In solemnioribus festivitibus Episcopus erit semper cum pluviali, ut supra dictum est. Poterit tamen, si magis placuerit, hujusmodi Missæ in festis minus solemnibus cum

sua cappa Pontificali interesse, et tunc etiam debent ei assistere præfati duo Diaconi, et Presbyter assistens.

5. Quæ autem ab Episcopo agenda exercendæ erunt in hujusmodi Missa, diverso modo statuuntur. Nam, aut Missa celebrabitur per aliquem alium Episcopum, seu Suffraganeum, et tunc Episcopus proprius interesse debet cum cappa, et omnia deferre Episcopo celebranti, præter absolutionem, et benedictionem post sermonem, ac Indulgentiarum concessionem, quæ omnino ab ipso proprio Episcopo peragenda sunt.

6. Cætera in Missa occurrentia, ut benedictionem incensi et aquæ, benedictionem Diaconi ante Evangelium, deosculationem manus, quæ fit ab eodem Diacono et Subdiacono, benedictionem in fine Missæ et similia, relinquit Episcopo celebranti, qui in benedictione solemnè in fine Missæ vertens se versus Episcopum, quasi veniam petet, et ipse nutu annuet. Circuli tamen Canonicorum fient ante ipsum Episcopum proprium, quamvis cappa indutum.

7. Sed si Episcopus proprius forte vellet esse paratus in hujusmodi Missa, ab alio Episcopo celebrata, quod non convenit, nisi celebrans sit Suffraganeus, vel alias subditus Episcopo, deberet omnia prædicta ipse facere.

8. Si vero Episcopus intererit Missæ celebratæ per aliquem inferiorem Episcopo, sive cum pluviali et mitra, sive cum cappa, omnes præeminentiæ honores et actus præfati conveniunt ipsi soli Episcopo, excepto quoad thurificationem, quia, quando non est paratus, ut supra, non debet thurificari, nisi post thurificationem oblato- rum tantum.

9. An autem, quomodo et a quibus Episcopo non celebranti fiat assistentia, tam Presbyteralis, quam Diaconalis, suis locis explicatum fuit.

CAPUT X.

Vesperis Defunctorum in eorum generali Commemoratione Episcopus assistit cum cappa lanea Pontificali. Quo ritu Episcopus in iisdem Vesperis et in Matutinis Officium faciat. Quæ servanda ad Laudes et ad Canticum Benedictus. Ordo celebrandi Vesperas et Matutinum Defunctorum aliis temporibus

1. Quia in Officiis Defunctorum diversæ ab aliis cæremoniæ in multis observantur, ideo de eis est subjungendum. Et primo de Vesperis et Matutinis, quæ celebrantur quotannis pro commemoratione et suffragiis omnium fidelium Defunctorum, immediate post secundas Vesperas festivitatis omnium Sanctorum, quæ simul et junctim in multis Ecclesiis recitari solent; hoc est, statim post Vesperas omnium Sanctorum, Vesperæ et Matutinæ Defunctorum, ad hoc, ut populi commodius et frequentius illis interesse possint. Et tunc, si Episcopus ipsemet erit in crastinum celebraturus Missam solemnem pro Defunctis, debet etiam in his Vesperis et Matutinis Officium facere, et quidem hoc pacto.

2. Postquam enim in secundis Vesperis omnium Sanctorum observaverit ea omnia, quæ supra expressa sunt in *Cap. i. hujus Lib. ii.* de Vesperis solemnibus, Episcopo in crastinum celebraturo; et ipsis secundis Vesperis expletis, si eis Episcopus interfuerit cum pluviali et mitra, ea deponit, et assumit cappam Pontificalem laneam, et descendens ad suam sedem choralem, ibi parumper sedebit, nullis tamen tunc ei Canonicis a lateribus assistentibus; sed tantummodo aliquibus Capellanis, ministris cum cottis, præsertim, qui de libro serviunt, et cum eis Cæremoniaro, indicante quid, et quomodo agendum sit: et cum opus est, cappæ fimbrias aptant, atque interim mutari poterit pallium altaris, et candelæ: videlicet, remotis albis, apponi ex cera communi. Interim dum Episcopus et Canonici pa-

ramenta deponunt, Mansionarii, seu Capellani, vel Seminaristæ in secretario recitabunt Completorium.

3. Post pauculum moræ surget Episcopus, et detecto capite, versus altare, absolute chorus incipit Antiphonam *Placebo Domino, etc.*, illam integre recitando: qua finita, et incepto Psalmo *Dilexi, etc.*, Episcopus caput cooperit, et sedet, et sic sedens manet, quousque inchoetur a choro *Magnificat, etc.*, tunc surgit et stat, detecto capite, usque in finem, et cum repetitur per chorum Antiphona post *Magnificat*, sedet; et ea finita, surgit, detecto capite, et competenti voce dicit *Pater noster*, quod secrete complet genuflexus, genuflectentibus omnibus.

4. Interim duo Acolythi ceroferarii accedunt ante Episcopum, cum candelabris et cereis accensis, qui solent fieri ex cera communi, et inter eos erit medius Capellanus de libro serviens. Episcopus alte pronuntiat ea verba Orationis Dominicæ, videlicet *Et ne nos inducas, etc.*, cum aliis Versiculis, respondente choro, quæ habentur in Breviario post Vesperas Defunctorum, et inde surgens ad *Dominus vobiscum*, dicit Orationem *Fidelium, etc.*, qua finita, subjunget Versiculum *Requiem æternam, etc.*, choro respondente *Et lux perpetua, etc.*, deinde chorus *Requiescant in pace, etc.*

5. Quo dicto, sedet Episcopus, cooperto capite, et post modicam moram surgit, capite detecto, absoluteque chorus incipit Invitatorium, *Regem, cui omnia vivunt, etc.*, pro Matutinis cum Psalmo *Venite, exultemus Domino, etc.* Cum chorus incipit Psalmum primi Nocturni, Episcopus sedet, cooperto capite, et sic manet, quousque dicatur per chorum Responsorium Versiculi ante primam Lectionem primi Nocturni; tunc surgit, et detecto capite, dicit secrete *Pater noster* usque in finem; mox sedet, capite cooperto, quousque dictum fuerit Responsorium Versiculi ante quartam Lectionem secundi Nocturni; et tunc pariter surgit, detecto capite, dicens *Pater noster*, mox sedens, prout in primo Nocturno; idem facit post Responsorium Versiculi tertii Nocturni ante septimam Lectionem.

6. Lectiones ipsæ cantantur per cantores, vel per Canonicos, juxta consuetudinem loci, in tono consueto Lectionum, et Responsoria Lectionum per chorum. Dicuntur deinde Psalmi cum suis Antiphonis pro Laudibus; et cum inchoatur Canticum *Benedictus, etc.*, Episcopus surgit, detecto capite, usque in finem, et cum repetitur Antiphona, sedet, cooperiens caput.

7. Interim accedunt duo ceroferarii cum Capellano, librum tenente ante Episcopum, et omnia fiunt, prout supra dictum fuit in fine Vesperarum hujusmodi. Quibus finitis, Episcopus discedit cum aliis ad suas mansiones, nec datur benedictio, nec publicantur Indulgentiæ.

8. Si autem Episcopus Officium faciet in sua sede Pontificali, tunc ad *Preces* Episcopus cum Capellanis descendit ad faldistorium, ubi cum illis et reliquis de choro, dicens *Pater noster*, genuflectet; et ad *Dominus vobiscum* solus surget; et cantabit Orationem, ad quam Acolythi cum ceroferariis necessarii non erunt.

9. Cum vero Vesperæ et Matutinæ hujusmodi recitandæ erunt aliis temporibus, quam prædicta die anniversaria omnium Defunctorum, tunc servandæ erunt Rubricæ positæ in Breviario, in ipso Officio Defunctorum, nisi essent celebrandæ pro anniversario Episcopi prædecessoris, vel pro aliquo summo viro Principe, vel Prælato proxime defuncto, quo casu quædam specialia observantur, quæ suo loco explicantur.

10. Hæc, ut dixi, servantur, si ipse Episcopus sit in his Vesperis et Matutinis Officium facturus; sin minus, posset manere cum cappa in choro in loco suo, et Canonicus hebdomadarius, paratus pluviali nigro supra rocchetto, vel cottam, aut saltem stola nigra, faceret, aut diceret omnia prædicta. Neque hoc casu requiritur, ut aliqui Canonici, vel Beneficiati cum eo parentur, prout in aliis Vesperis solemnibus. Et idem fiet in Collegiatis, vel Cathedralibus, absente Episcopo.

CAPUT XI.

Quæ præparanda ad Missam Pontificalem pro Defunctis. Cere qualitas. Episcopus sandaliis et baculo pastorali non utitur. Psalmos pro præparatione omittit. Habitus ministrorum assistentium. Manus Episcopi non osculandæ. Epistola et Evangelium ubi cantentur. Candelæ quando distribuendæ et accendendæ. Thurificatio quomodo faciendæ. Exequiæ ad tumulum, seu castrum doloris, quo ritu peraguntur. Ordo absolutionis pro Summo Pontifice, S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis et Principibus. Ministri pro hac ipsa absolutione, et eorum indumenta. Incensum quomodo ministrandum. Oratio in fine dicenda. Ordo recedendi. Quando hæ absolutiones faciendæ sint.

1. Si velit Episcopus celebrare die anniversaria omnium Defunctorum, vel alias quocumque pro Defunctis, hæc præparentur et fiant; videlicet, altare nullo ornatu festivo, sed simpliciter, et nullis imaginibus, sed sola cruce et sex candelabris paretur; et duo super credentia cum candelis ex cera communi; super ea nulla ornamenta ponantur, sed tantum, quæ sunt necessaria; videlicet, bacile et buccale simplex, Missale, vas aquæ benedictæ cum aspersione, thuribulum cum navicella, item pannus niger, extendendus pro absolutione faciendæ, finita Missa, nisi adesset lectus, seu lectica mortuorum, aut castrum doloris; gradus altaris, et totum Presbyterium sit nudum, excepto, quod unum tapete sub faldistorio, et aliud super primo gradu suppedaneo apud altare ponetur; omnia paramenta, tam altaris, quam celebrantis et ministrorum, librorum et faldistorii sint nigra, et in his nullæ imagines mortuorum, vel cruces albæ ponantur. Canonici parentur paramentiis sacris, prout in aliis Missis, celebrante Episcopo.

2. Episcopus ipse non utatur in hac Missa sandaliis et chirothecis, nec baculo pastorali, non dicet Antiphonam *Ne reminiscaris*, nec leget Psalmos *Quam dilecta*, etc., nec Orationes, quæ in aliis Missis dicendæ sunt, antequam induatur, sed dicet tantummodo Orationes pro paramentis, incipiendo ab ea *Exue me Domine*, etc., et tunc deponit cappam, et lavabit manus, ac parabitur, dicendo ad aquam et indumenta, consuetas Orationes, exceptis, quæ dicuntur pro sandaliis et chirothecis.

3. Diaconus et Subdiaconus utentur tunicella et dalmatica, et assistens pluviali; et aderunt Capellani soliti cum cottis, et scutiferi pro lotione manuum apud abacum, prout in aliis Missis.

4. Cum Episcopus accedet ad altare, finita confessione, non osculabitur librum, sed altare tantum, et statim redit ad sedem suam; nec altare, nec ipse thurificabitur, sed apud sedem versus altare leget Introitum.

5. Ministri aliquid dantes, vel ministrantes Episcopo in tota Missa, nunquam ejus manum, aut rem osculentur. Quando dicuntur Orationes, tam ante Epistolam, quam post Communionem, omnes genuflectunt, præter celebrantem et ministros; videlicet, Diaconum et Subdiaconum, ac assistentes. Epistola et Evangelium non legantur in ambone, sed in Presbyterio in loco convenienti. Subdiaconus, cantata Epistola, non osculetur manum Episcopi.

6. Si distribuendæ sunt candelæ, tunc post Epistolam, dum cantatur Prosa, id est, Sequentia, distribuuntur, quæ accendantur ad Evangelium, ad elevationem SS. Sacramenti, ac finita Missa, dum fit absolutio. Lecta Epistola, cum cantatur ultimus versus Sequentiæ, Diaconus affert librum ad altare, in cujus medio illum collocat, statim sine osculo manus Episcopi, in supremo gradu genuflexus, dicit *Munda cor meum*, etc., non petat benedictionem pro Evangelio, nec deferantur luminaria, nec incensum, sed accepto ab altari libro, procedet ad cantandum Evangelium cum ministris, ordine infrascripto; videlicet, primo

Cæremoniarius, tum ipse Diaconus, quem sequitur Subdiaconus, ultimo loco duo Capellani. Finito Evangelio, Episcopus non osculabitur librum, sed statim dicet *Dominus vobiscum* et *Oremus* pro Offertorio: deinde lavabit manus more solito, et ad altare accedet: non benedicet aquam ponendam in calicem pro oblatione; nec Subdiaconus sustinebit patenam: imponet tamen post Offertorium Episcopus thus in thuribulum more solito, cum benedictione *Per intercessionem, etc.*, et thurificabit oblata et altare, et demum ipse solus, accepta mitra, thurificabitur a Diacono.

7. Dum dicitur *Sanctus, Sanctus, etc.*, quatuor Capellani, cum quatuor funalibus ex eadem cera communi accensis pro elevatione SS. Sacramenti accedunt et genuflectunt, more solito, similiter omnes genuflectunt, sic permanentes usque ad *Per omnia sæcula, etc.*, ante *Pax Domini, etc.* Capellani vero cum funalibus usque post Communionem.

8. Subdiaconus ad elevationem, imposito per aliquem Acolythum thure in thuribulum, thurificabit SS. Sacramentum, genuflexus in cornu Epistolæ. Non datur pax, nec percutitur pectus ad *Agnus Dei*.

9. In fine Missæ non datur per celebrantem benedictio, nec publicantur Indulgentiæ, sed Diaconus dicat *Requiescant in pace* versus altare; et Episcopus, dicto in altari *Placeat tibi, sancta Trinitas, etc.*, incipiet more solito Evangelium S. Joannis, quod prosequitur mitratus, redeundo ad sedem suam; et ibidem deposita planeta, ac etiã, cum manipulo, dalmatica et tunicella, capiet pluviale nigrum, Diacono et Subdiacono paratis remanentibus, depositis tamen manipulis, et Episcopum ad exuendam planetam, et induendum pluviale, adjuvantibus.

10. Si sermo habendus erit in laudem Defuncti, pro quo Missa celebrata erit, tunc ea finita, ante absolutionem accedet sermocinaturus, vestibus nigris indutus, sine cotta, et facta oratione ante medium altaris, nulla petita benedictione ab Episcopo, sed facta ei profunda reverentia, vel genu-

flexione pro qualitate personæ, ascendet pulpitem, panno nigro coopertum, ubi facta iterum Episcopo reverentia, signans se signo crucis, faciet sermonem. Quo finito, vel si sermo non sit habendus, statim finita Missa, accepto pluviali per Episcopum, ut supra, ante infimum gradum solii extendetur pannus niger; vel portabitur lectica mortuorum pro absolutione facienda ante infimum gradum Presbyterii, nisi alias lectus mortuorum, vel castrum doloris adsit in medio Ecclesiæ; quo casu Episcopus pluviali paratus ibidem, vel solus, vel cum aliis quatuor absolutionibus, ut infra dicitur, illuc præcedentibus Canonicis, qui ibidem in suis scamnis consistent, accedere deberet.

11. Si vero Episcopus erit in faldistorio, tunc pannus niger ante infimum gradum altaris extendetur, vel ibidem portabitur lectica mortuorum, pro absolutione facienda.

12. Interim, dum extenditur pannus, vel portatur lectica, Episcopus sedet, et cantores incipiunt Responsorium *Libera me, Domine, etc.*, et dum repetitur dictum Responsorium, accedunt ad Episcopum duo Acolythi, unus cum thuribulo et navicula, alius cum aspersorio et vase aquæ benedictæ. Tunc Episcopus, ministrante naviculam Presbytero assistente a dexteris sine oculis, imponet thus in thuribulum cum benedictione, et statim, si est in faldistorio, accedit ad altare, ubi, antequam a choro dicatur *Kyrie eleison*, deponet mitram, et stans versus altare, dicit intelligibili voce *Pater noster*. Si vero erit in sua sede, surget, et deposita mitra, dicto ultimo *Kyrie eleison*, versus altare dicit similiter *Pater noster*, quod secrete complendo, ministrante eodem Presbytero assistente aspersorium, et elevantibus hinc inde assistentibus oras pluvialis, Episcopus stans, aspergit ter super pannum nigrum, vel lecticam mortuorum: et reddito aspersorio Presbytero, et ab eodem accepto thuribulo, thurificabit eo modo, ter thuribulum ducens super pannum, vel lecticam, ministras oras pluvialis similiter elevantibus. Tunc accedent duo Acolythi cum duobus candelabris et candelis accensis,

et sistent ante pedes Episcopi, qui ex libro sibi per ministrum solitum in capite posito, leget Versiculum *Et ne nos, etc.*, et alios Versiculos, et Orationem Missæ, pro qua nullus tunc genuflectet, et in fine repetet Versiculum *Requiem æternam, etc.*, et cantores dicent *Requiescant in pace*, et Episcopus tunc producet signum crucis versus pannum: inde, depositis paramentis, ubi fuerunt accepta, factaque oratione, discedit.

13. Si aderit in Ecclesia lectus mortuorum, seu castrum doloris, et Missa celebrata sit pro anima alicujus Summi Pontificis, vel S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitanæ, aut Episcopi proprii, seu Imperatoris, Regis, vel Ducis magni, aut Domini loci, conveniens est, ut fiant absolutiones apud castrum doloris, tam ab ipso Episcopo celebrante, quam ab aliis quatuor Episcopis, vel Prælati, si adsint; et in defectum Episcoporum, a quatuor primis Dignitatibus, vel Canonicis, ordine infrascripto: videlicet, finita Missa et sermone, si habitus sit, quatuor Prælati, seu Dignitates, vel Canonici præfati accedant ad sacramentum, vel alium locum convenientem et propinquum, ubi quilibet eorum accipiat super rocchetto, vel super cottam, si sit Religiosus, amictum, stolam et pluviale nigrum, ac mitram simplicem, si ea uti possint; sin minus biretum; et omnes, sic parati, conveniant apud Episcopum celebrantem paratum, ut supra, cum quo ibunt ad feretrum, seu castrum doloris, hoc ordine.

14. Præcedunt duo Acolythy, unus cum thuribulo et navicula, et alius cum vase aquæ benedictæ, et aspersorio; tum duo alii Acolythy cum duobus aliis candelabris et candelis accensis, in quorum medio erit Subdiaconus, qui in Missa cantavit Epistolam, paratus, deferens crucem; post eum Canonici parati, inde duo juniores Prælati, ac dein duo seniores, et quilibet eorum habebit penes se unum Capellanum, superpelliceo indutum, qui de mitra serviet, et unum scutiferum, qui cereum accensum portet; ultimo loco incedet Episcopus celebrans, inter duos assi-

stentes, et ante eum Presbyter assistens indutus pluviali nigro, et alii Cappellani cum cottis.

15. Cum pervenerint ad castrum doloris, seu locum destinatum pro absolutionibus faciendis, thuriferarius cum alio Acolythy, deferente aquam benedictam, firmabunt se in capite loci a parte dextera; Acolythy vero ceroferarii, ac Subdiaconus cum cruce ibunt ad pedes loci, et Subdiaconus cum cruce collocabit se in medio eorum: nisi fiat absolutio præsentem corpore, seu cadavere, quo casu Subdiaconus cum cruce collocabitur ad caput Defuncti, quicumque ille sit, prout in Rituali Romano.

16. Junior Prælati sedebit in scabello in angulo castrum doloris ad pedem dexterum, alius post eum in angulo ad humerum sinistrum, tertius in angulo ad pedem sinistrum, quartus, qui erit senior, in angulo ad humerum dexterum. Celebrans vero sedebit in faldistorio in capite loci in medio, ita ut crucem directe semper respiciat.

17. Omnibus sic ordinatis, surget celebrans, detecto capite, omnibus similiter surgentibus, Presbytero assistente ante pectus librum tenente, incipiet in tono Lectionis absolute Orationem *Non intres in iudicio, etc.*, qua finita, omnes sedebunt, coopertis capitibus, et cantores incipient Responsorium *Subvenite, Sancti Dei, etc.*, tunc duo Acolythy cum thuribulo et navicula, et aqua benedicta et aspersorio, una cum Diacono accedent ad angulum dexterum capitis, ubi est dignior Prælati, et se ad ejus dexteram collocabunt.

18. Incepto Versiculo *Requiem æternam, etc.*, Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum digniorem Prælatum, qui, ministrante Diacono naviculam, et dicente *Benedicite, Reverendissime Pater*, imponet thus in thuribulum, more consueto, dicens *Ab illo benedicaris, etc.*, producens signum crucis super incensum, thuribulo impositum. Cum per chorum dicetur primum *Kyrie eleison*, surgent omnes, detectis capitibus; et prædictus dignior Prælati voce intelligibili dicet *Pater noster*,

quod secrete complebit : et interim, accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, asperget lectum circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, ter aspergens quamlibet lecti partem lateralem; Diacono a dextris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante : et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit; similiter cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes lecti.

19. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum redierit, reddit aspersorium Diacono, et is Acolytho servienti de aqua benedicta : ac ibidem ab eodem capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit, ter in qualibet parte laterali thuribulum ducens.

20. Cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans, dicet Versiculos *Et ne nos, etc.*, et alios Versiculos, et Orationem *Deus, cui omnia vivunt, etc.*, prout in Pontificali Romano.

21. Qua finita, omnes sedent cum mitra, et cantores incipient Responsorium *Qui Lazarum resuscitasti, etc.*, dum dicent Versiculum *Requiem æternam, etc.*, ut supra, ministri accedent ad secundum digniorem Prælatum, sedentem in angulo ad sinistrum pedem, qui, imposito thure, ut de primo dictum est, deposita mitra, surget, et dicto a choro *Kyrie eleison*, omnibus similiter surgentibus, dicet *Pater noster*, asperget et thurificabit lectum, ut supra, et demum dicet Versiculos, et Orationem *Fac, quæsumus Domine, etc.*, qua finita, omnes similiter sedebunt, et cantores cantabunt Responsorium *Domine, quando veneris, etc.* Tertius dignior Prælatum, sedens ad sinistrum humerum, servabit omnia, quæ superius primus et secundus servaverunt, et demum dicet Orationem *Inclina, Domine, aurem tuam, etc.* Qua similiter finita, quartus et senior Prælatum sedens in angulo ad dexterum pedem, faciet similiter, et in fine dicet Orationem *Absolve, quæsumus Domine, etc., ut in resurrectionis gloria, etc.*

22. Demum cantato a choro Responsorio *Libera me, Domine, de morte æterna, etc.*, celebrans ipse, imposito thure

in thuribulo, ut supra, dicto *Pater noster*, asperget et thurificabit lectum, prout de primo et aliis dictum est; et in fine, dictis Versiculis, dicet Orationem *Absolve, quæsumus, Domine, etc., ut defunctus sæculo, etc.*; et responso per chorum *Amen*, ipse Episcopus dicet *Requiem æternam, etc.*, demum duo cantores dicent *Requiescant in pace.*

23. Quo dicto, receptis ab omnibus Prælatibus mitris, seu biretis, si mitris non utantur, omnes eo ordine, quo venerant, revertuntur ad sacristiam, vel alium locum deputatum, et ibidem depositis paramentis, quilibet recedit ad propria.

24. Si loco Prælatorum quatuor, adsint tantum Canonici, solus Episcopus debet incensum benedicere: nec aderunt Capellani de mitra, et scutiferi qui ferant candelas; et tunc, cum quilibet facit suam absolutionem, deponet biretum in manibus ejusdem clerici, sicut et candelam. Si defunctus sit Episcopus, aut Prælatum Sacerdos, et corpus sit præsens, faldistorium Episcopi celebrantis parabitur ad pedes ejus, non vero ad caput, ut in Rituali Romano; alias semper parabitur ad caput lecti, seu castris doloris.

CAPUT XII.

Missæ solenni pro defunctis Episcopus assistere potest cum cappa, vel cum pluviali nigro, seu violaceo. Confessio ubi fiat. Sedes parata sit ex panno violaceo. Ad orationem, quo loco Episcopus genuflectat. Thurificatur post oblata a Presbytero assistente. Dicto Sanctus, ubi et quamdiu genuflectat. Quomodo procedatur ad sermonem, et ad absolutionem faciendam.

1. Si Episcopus noluerit celebrare, sed hujusmodi Missæ pro Defunctis, per alium celebratæ, interesse, eadem norma in omnibus servabitur, quæ expressa est in *Capite præcedenti*; ipse vero Episcopus, cum cappa, vel cum pluviali

nigro, seu violaceo, facta confessione cum celebrante, ibit cum suis assistentibus ad sedem suam, quæ debet esse parata ex panno violaceo, non autem ex serico.

2. Cum celebrans dicit *Dominus vobiscum*, ante Orationem, Episcopus veniet ad faldistorium ante altare, et ibi ad *Oremus* genuflectet capite detecto, sic manens usque ad finem Orationis. Qua finita, redibit ad sedem suam, et tunc, et non prius, Presbyter assistens ibit ad scabellum assistentiæ.

3. Ad Offertorium Episcopus, more solito ministrante naviculam Presbytero assistente, imponet thus in thuribulum, dicens *Per intercessionem, etc.*, et thurificatis oblatibus et altari, thurificabitur celebrans a Diacono, et Episcopus a Presbytero assistente, more solito.

4. Dicto *Sanctus, etc.*, Episcopus ibit ad faldistorium, ubi genuflexus permanebit usque ad *Agnus Dei* exclusive; et tunc redibit ad sedem, et dicet *Agnus Dei, etc.*, cum suis assistentibus, non percutiendo pectus, nec fiunt in hac Missa circuli; et iterum ad Orationem post Communionem redibit ad faldistorium, et genuflectet, similiter omnibus genuflectentibus, quoties Episcopus genuflectet.

5. Finita Oratione, Episcopus redibit ad sedem, et non dabit benedictionem: nec publicabuntur Indulgentiæ.

6. Finita Missa, si sermo habendus sit, sermocinator accedet, et absque aliqua benedictionis petitione, facta tantummodo altari reverentia debita et Episcopo, ibit ad pulpitum, ubi sermonem recitabit. Quo finito, si Episcopus voluerit ipse absolvere, deposita cappa apud sedem, capiet amictum supra rocchetto, sive super cottam, si sit Regularis, crucem pectoralem et stolam, et demum pluviale nigrum, et mitram simplicem, et omnia fient, quæ superius in *præcedenti Capite* dicta sunt. Si vero Episcopus absolvere ipse noluerit, vel hujusmodi Missæ non intersit, celebrans, finita Missa, et lecto Evangelio secundum Joannem, faciet omnia, prout in *Cap. xxxvii. hujus Lib. ii.*

CAPUT XIII.

Quæ servanda in Vesperis et Missis solemnibus in Adventu Domini. Episcopus, si Missam solemnem celebret, paramenta apud sedem sumere potest. Subdiaconus Epistolæ, Diaconi assistentes, Diaconus Evangelii utuntur planetis violaceis plicatis ante pectus. Color paramentorum Episcopi et Canonicorum sit violaceus. Episcopus in Missa non dicit Pax vobis, sed Dominus vobiscum. Subdiaconus cantat Epistolam sine planeta. Diaconus item Evangelium, sed cum alia convoluta. Subdiaconus reassumit planetam post cantatam Epistolam, Diaconus vero post communionem Episcopi. Quid præstandum ab Episcopo, si Missæ assistat. Paramenta in tertia Dominica Adventus violacea sint, sed sumptuosiora. Diaconus et Subdiaconus utuntur dalmatica et tunicella in Dominica quarta Adventus, si in ea occurrat Vigilia Nativitatis Domini.

1. In Vesperis et Missis solemnibus in singulis Dominicis Adventus, eadem omnia servabuntur, Episcopo celebrante, vel non celebrante, quæ superius expressa fuerunt, dum generaliter de his disseruimus, exceptis tamen infrascriptis.

2. Quia primum Ecclesia, altare et chorus simpliciori apparatu ornantur. Item, celebrante Episcopo Missam solemnem, non erit opus paramenta sacra pro Missa sumere in sacello, seu secretario supra memorato, sed apud sedem suam, ubi cappa indutus, incipit Tertiam; et incepto primo Psalmo, sedet, accipit sandalia, legit Psalmos et Versiculos ac Orationes consuetas, et in fine cantat Orationem pro Tertia, Canonico Presbytero assistente, librum supra caput tenente in suo habitu Canonicali.

3. Subdiaconus cantaturus Epistolam, paulo ante quam Episcopus in chorum veniat, capiet omnia paramenta sibi